

POSTSCRIPTUM.

Habes hic, Patrue plurimum Reverende! Parallelissimi Lovaniensem, Bonnenseumque Doctorum inter sententias Specimen primum, Tuo, quod scirem, ingratum non fore, incriptum Nomini. Rem ulterius prosecutus fuisse, nisi, cur abruperim, jam rationem reddidisse. Juvat tamen quasdam adnectere Positiones, quas evertendo Bonnenseum Systemati aptissimas judico. I. Christus non alios constituit Magistratus, qui Ecclesiam regerent, quam Episcopos, & unum omnium Caput, ac Principem summum Pontificem, qui & Episcopis, & cunctis Christianæ Reipublicæ Civibus Dignitate, ac jurisdictione præiset. II. Si quis ergo Episcopus injustam tulerit sententiam, JURE DIVINO Appellantus est summus Pontifex. III. JURE vero ECCLESIASTICO postea invaluit Jus Appellationis, quod adverius Episcopi sententiam Metropolitæ, adverius sententiam Metropolite Patriarchæ competit. IV. Quidquid igitur authoritatis in Episcopos Patriarchis & Metropolitis Ecclesiastica lege datum est, tanti & tam diu Valet, quanti & quam diu Pontifex vult. V. Desierit enim Le-

ge Ecclesiastica esse, aut habere, quod à Christo
erat, habebatque Pontifex? VI. An & Ecclesia su-
pra Christum? VII. Si itaque Pontifex velit, sta-
tum cognoscere Episcoporum sententias, non ex-
spectatis Metropolitarum, Patriarcharumque inter-
mediis, suo utitur Jure, quod à Christo habet, ei-
que integrum manet, etiam postquam Patriarchæ
& Metropolitæ, ne nimis Pontifex obrueretur ne-
gotiis, in partem hujus Juris venerunt. VIII.
S. BERNARDUS cum quasdam EXEMPTIONES re-
prehenderet, Potestatem eximendi in EUGENIO ag-
novit, sola inde nata carpens mala. IX. Omnia
ea Concilia, quæ Episcoporum causas in suis quas-
que locis finiendas esse innuant, id statuunt, quod
expedire magis vitum fuit, ipsam Pontificis aucto-
ritatem nullo modo in Discrimen vocantia. — Sed
infinitus forem, si quæ Memoriae occurrunt, de-
scribere vellem. Est tamen unum, de quo Te-
cum, suavissime Patrue! expostulare debeo. Et
quid hoc? Miror, à Te iis Archiepiscopi Colon-
circa jejuniū 1787 NOMINE ECCLESIE Dispensan-
tis, quæ in ingressu habentur, Verbis, nullam
subducentem esse Epicrisin. Quid intellexerit iis
Vocibus? Erga Unum dabo centum, si vel Oe-
dipus solverit. Quid? Quam Ecclesiam? Omnes
hujus Vocis & mysticas & citimas percurre sig-
nificationes, & ne unam quidem deprehendes,
quæ sanum figat sensum. Intellexerit enim Pon-
tificem?

tificem? Eum quippe isto quandoqne Venire nomine, nōsti; sed totus in ista sua ad Parochos data Instructione contendit, se Potestate, quam à Christo immediatè habeat, & quæ à Pontifice nulla ratione attemperari possit, agere. Christum igitur? Verum sicut Demiurgus non dicitur, quam exstruxit, Dōmus, ità neque Christus, quam fundavit, ECCLESIA. Aut an Tu ità stultè loquentes unquam audiisti? Populum tandem? At hunc ipsum Lege jejunii liberabat; nomine autem ac Authoritate ejus, qui Lege tenetur, illum ipsum liberare, adynaton est, & mysterium ne à Deo quidem revelabile. Se denique ipsum? Ipfus Ecclesia sit? Quām ineptè hoc etiam! nonne potius debuissest tum dicere *proprio nomine?* Sed addit *Ecclesia, quæ benefica sit Mater.* Doctior non sum. Scio quidem, quænam hoc mereatur nomen Ecclesia; verum procul hæc à mente Magistri. Quid igitur tandem? *Errore paffiano laboret ista phrasis, quasi Potestate primitus Populo datâ Ministerialiter, ut ajunt, uterentur Episcopi?* Negant hoc Bonnenses, negant & Monasterienses, Potestatem à Deo, non ab homine Episcoporum esse, ad ravim clamantes usque. Quis igitur Deus hæc Episcopi Verba explicabit? Quis ex Machina Deus? BONNENSEM mentietur Oraculum? At hæc BENEFICA non est; quippe quæ 1787, ne subditi fame tacerent, legem jejunii NOMINE ECCLESIE solvēbat,

bat, 1789, ut perirent, Coloniae frumenta, unde panis sit, filiginem vocant, inferri vetuit, alienigenis, quam suis, benignior. Si igitur ne Deus quidem has Voces nomine Ecclesiæ interpretari noverit, mirum certè, à Te hoc non notatum fuisse, cum alias Te in notandis Ruprechti, Schenkeliique Interpolationibus Argum exhibueris. Atque hoc est illud, quod, ni fallor, Theologi omissionis vocant, Peccatum, de quo Tecum expostulandum esse duxi. Cærerum Reip. Literariæ à Te satisfactum ista tua opella, scito! Me ut porro ames, rogo. Vale! sum

Tuus ad Urnam & ultrâ

NEPOS THEODULPHUS JOSEPHUS VAN
DEN ELSKEN, Juliacensis.

١٦

ALPHUS
SKEN; J.